

Ticinum oppidum ad cognominem fluvium paullo supra confluentes eius Padique situm teste Plinio 3, 17, 124 conditum est a Laevis et Maricis Ligurum populis. Ex his Marici praeterea nusquam memorantur (vide tamen quae dicuntur in capite de Clastidio); antiquam gentem Laevos Ligures incolentes circa Ticinum amnem etiam Livius 5, 35, 2 nominat, nec videntur diversi esse qui Lai dicuntur Polybio 2, 17, 4 Gallica gens ad caput Padi amnis habitans. Ptolemaeus vero (3, 1, 33) Ticinum Insubribus attribuit pariter atque Comum et Mediolanium et adeo Novariam. Romana aetate oppidum inde incrementum cepit, quod primaria via ab Arimino per Galliam Cispadanam Placentiam ad Padum perducta a. u. c. 567, scilicet Aemilia (Liv. 39, 2; Strab. 5, 1, 11 p. 217; vol. 1 n. 535—537), quae deinde ei regioni nomen dedit, cum trans Padum continuaretur bipertita, flumine superato ut primum oppidum in via ad Hadriaticum Cremona, ita in altera ad Alpes Galliasque Ticinum fuit. Quae via quo tempore strata sit licet non tradatur, mature factam esse consentaneum est, certe ante a. 654, quo colonia Eporedia deducta est. Ea via commemorata a Strabone (5, 1, 11 p. 217: ὑπὲρ Πλακεντίας... Τίκινον ἐν τριάκοντα ἑξ μίλλοις πόλις) in itinerariis describitur sic:

VASCULA APOLLINARIA QUATTUOR (Henzen 5210; Garrucci diss. arch. 1,164):	PEUTINGERANA:	RAVENNAS 4, 30:
Placentiam	Placentia	
	xx	
XVI (sic 1. 2. 3; XVII 4)	ad Padum	Padum
	VII	
	Quadrata	Quadratam
	...	
Lambro flumen (Lambrum)	Lambrum	Lambrum
xx		
Ticinum	Ticeno	Papia quae et Ticinus

Numeri in Peutingerana perturbati iam ex vasculis emendantur. Lambrum flumen, ad cuius ostia via transit, adhuc retinet nomen antiquum.

— Praeterea in itinerariis adsunt etiam via Ticino Laude M. P. XXIII (Anton. p. 283) et via Ticino ad decimum M. P. X, inde Mediolanum M. P. X (Hierosol. p. 557; Ticino Mediolanum M. P. XXIII vel secundum alios libros XX Antonin. p. 340. 347. 356). Contra cum Cremona Ticinum non videtur iunctum fuisse via consulari; nam duae illae viae magnae ad sinistram Padi Ticino Taurinos et Cremona Hostilium iunguntur via recta maiore nulla, sed cis Padum demum ad Placentiam, quae sexto urbis saeculo caput fuit Galliae citerioris. — Oppidum Ticinum cum non raro nominetur (Tacitus ann. 3, 5. hist. 2, 17. 27. 30. 68. 88; Victor Caes. 33, 28 epit. 34, 2; Ammian. 15, 8, 18 al.), vix quicquam, quod ad ipsum illustrandum pertineat, a rerum scriptoribus afferitur, praeterquam quod mentio fit *fabricae Ticinensis arcuariae* (not. dign. occ. p. 43). Gothica demum aetate urbs propter locorum naturam bellis gerendis opportunissima ita effloruit, ut quodammodo regiae locum obtineret (cf. praecipue Procopius bell. Goth. 2, 12. 30. 4, 33). Et ibi et Dertonae publica provinciae Liguria horrea instituta sunt (Cassiodor. var. 10, 27. 12, 27) et Theodericus *palatium thermas amphitheatrum et alios muros civitatis fecit* (Anon. Vales. 71), habemusque inde etiam titulum regis Atalarici n. 6418 pertinentem ad *sedes spectacula*, id est ni fallor ad amphitheatrum. Papia autem nomen ne ea quidem aetate obtinuit neque inveni nisi apud auctores aetatis Langobardicae Paulum Diaconum et Anonymum Ravennatem.

Municipium Ticinum dicitur n. 6419. Magistratus nominantur *III viri iure dicundo* n. 6431, *III viri aedilicia potestate* n. 6428, *III viri nude* n. 6427, *quaestores aerarii* n. 6428, *sacerdotes pontifices* n. 6431, *augures* n. 6428, *salii* n. 6431, et hi quidem decurionum decreto gratuiti, item *sacerdos urbis Romae aeternae Ticini* in Taurinensi n. 6991, *flamen Romae et divi Claudii* n. 6431, *flaminica* n. 6435, nisi haec Mediolanensis est, *flaminica divae Sabiniae Ticini* in Novariensi n. 6514. *Seviri* adsunt n. 6426. 6430. — Tribus Ticinensium Papiria fuit testibus titulis et domesticis et extraneis non paucis, quos composuit Grottefendius p. 81. — Ex hac urbe Cornelium Nepotem oriundum esse videri observavi in Hermae vol. 3 p. 62.

Cum titulis Ticini et ad Ticinum eruderatis coniunximus tres repertos ad vicum S. Zenonis n. 6458 et Belgiojosi n. 6424 et Gualdrasci n. 6435.

6406 Ticini in aedibus comitis Palearii MUR. PASQ. CAPS. Nunc in universitate.

I S I
SACRVM
PLOTIA · L · L
VITALIS

Contuli. Bossi et Rho ms. p. 455; Mur. 72, 3 e schedis suis; Pasquali ms. inter Mariniana Vat. 9127 f. 368; Capsoni 1, 213 tab. 2 n. 3; Voghera tab. 10 n. 3; Aldini p. 29.

6407 Ticini nuper rep. in munasterio S. Agathae, nunc apud parochum S. Trinitatis CAPSONI. Periisse ait ALDINI p. 98.

IVNONI
CORNELIAE · N
ALBANVS · DISP

Capsoni 1, 212 tab. 2 n. 2.

6408 rep. 1829 Paviae sub pavimento prope forum Trinitatis, nunc in aedibus Orlandi.

I · O · M
CRESCENS
ET SATVR
N I N V S
5 CVN SVIS *etc*
V S L M

Contuli. Aldini p. 16.

6409 Paviae dissepolta l'a. 1756 in occasione della fabbrica de' Padri Somaschi alla Colombina CAPSONI. Ex eorum collegio in domum suam transtulit marchio MALASPINA. Ibi adhuc.

I O M
A G G A N A I
C O · M · N O
N I V S · V E R V
5 S · C V M S V I S
V · S · L · M

Contuli. Capsoni apud Guasculum mus. Cap. 1 (1775), 92. 3, 222 et Pav. 1 (1782), 207 tab. 2 n. 1; Malaspina p. 8; Voghera tab. 10 n. 7; Aldini p. 13 (inde Henzen 5612), qui aere expressit.

6410 Ticini rep. 20 Iul. 1726 cum facta est domus Mezzabarbarum prope S. Quiricum, ubi extat BOSSI, CAPSONI, PASQUALI, ZACC. Nunc in universitate ALDINI, EGO. — Mediolani MUR. errore.

M E R C V R I O
V O T
M · C O R N E L I
V S · H E R M E S

Contuli. Bossi et Rho p. 456. 460; Mur. 46, 11, cui misit Casp. Beretta; Pasquali ms. inter Mariniana; Zaccaria exc. 1, 211; Capsoni 1, 216 tab. 2 n. 8, usus schedis servatis apud Rochum Curtium; Voghera tab. 10 n. 5 Aldini p. 24.